



**Praxis Iurispatronatvs Acquirendi, conseruandiq[ue] illud;  
ac amittendi modos breuiter continens**

**Viviani, Giuliano**

**Romae, 1620**

Avctor Lectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61772](#)

# AVCTOR LECTORI.



**C**RIPTVM reliquit Diuus Bernardus  
in suo libro de Ordine vitæ , Sequatur  
conuersationis electio; vt adiungatur pro-  
batissimis quibusque senioribus ; nam  
vt æqualium usus dulcior , ita senum tu-  
tior est , qui magisterio quodam , & ductu vitæ co-  
lorant mores adolescentium , & veluti murice pro-  
bitatis inficiunt : nempe si hi , qui sunt ignari locorum  
cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt , quanto  
magis adolescentes cum senibus debent nouum iter  
sibi aggredi , quominus errare possint , & à verotrami-  
te virtutis deflectere ? nihil enim pulchrius , quam  
eos , & magistros vitæ habere , & testes . Patet siqui-  
dem nullam artem addisci absque magistro : si enim  
animalia , feræ , aues , & apes duces habent , suosque se-  
quentur Principes , quanto magis homines sine dato-  
re , & rectore esse non possunt ? Inde cauendum est ,  
ne adolescentes sine duce ingrediantur viam , quam  
nunquam ingressi sunt , & in partem alteram decli-  
nantes errores patientur . Huius sanctissimi viri dicta  
secutus , Magistros , & Duces viros clarissimos de iu-  
repatronatus tractantes elegi , & ante oculos proposui ,  
illorumque dicta , & tractatus præ manibus habere  
studui ; ex quibus apum exemplo carpsi quicquid

\* 4 boni

boni in hoc opere reperitur: ingenui siquidem hominis est fateri per quos ipse profeceris. quod mihi utilitatem, alijs attulit adiumentum. Ea de re iurispatronatus materiam ad Praxim redigere curauit, & viam hanc sum ingressus, iterque tandem impleui his ducibus, his magistris, ut errores effugerem, & securus viam perficerem; satis esse dicens aliorum dicta potius recensere, quam noua in medium, vel non utilia proponere, vel non bene dicta. Ut ilitas etiam huius materiae iurispatronatus me incitauit: cum enim frequentes in Iudicijs de iurepatronatus sint controvierisæ, opportunum iudicauit ad Praxim omnia reducere, ut facile quisque præ manibus habere posset digestam. hanc materiam tanquam lumen proueniens à maiori lumine, fateor enim vniuersam hanc praxim veluti paruum lumen mutuatam esse lucendi, & illuminandi facultatem à maiori lumine Clarissimorum virorum, qui de iurepatronatus tractatus ediderunt. Quamuis enim frustratorium sit Solem facibus adiuuare, fructuorum tamen est Solis luce radiari, & illustrari. Id autem satis mihi erit, si lector laborem meum hunc non contempserit, sed benigno animo recipiens, quod boni fuerit ab Omnipotenti Deo venisse teneat, & quod malum à me & iuuentuti parcere non dedignetur.

post \*

INDEX